

112 I. 2. DISPUTATIO IV.

dest. c. 1. & 2. ubi factâ distinctione inter necessitatem antecedentem & consequentem , antecedentem dicit esse illam quæ causa est ut res sit , consequentem quam facit ipsem operans , & primam dicit præjudicare libertati non autem secundam. Pariter S. Th. l. 2. phys. lect. 15. docet : quod illa sit necessitas absoluta , quæ provenit ex causis prioribus & illa conditionata , quæ orta est ab eo , quod est posterius in esse.

R. Distinguendo maj. suppositio antecedens non inferens aut causans libertatem inducit necessitatem antecedentem Con. libertatem inferens & causans N. solutio patet ex dictis.

Ad probat. ex S. Ansel. & S. Th. pariter solutio patet : quia necessitas antecedens est , quæ causa est , ut res sit cum indifferentiâ N. ut res sit per modum naturæ cum determinatione ad unum Con. Item antecedens est , quæ provenit ex causis prioribus continentibus & dantibus ipsum modum libertatis & contingentia N. non continentibus Con. itâ SS. DD. esse intelligendos ex ipsorum verbis constat & specialiter S. Anselmus itâ inquit lib. de concord. prædest. *Quamvis neesse sit fieri , quæ præciuntur & quæ prædestinantur : quadam tamen præscita & prædestinata non eveniunt ex necessitate , quæ præcedit rem & facit , sed eâ , quæ rem sequitur.*

DISPUTATIO V.

De violentiâ , metu & ignorantia.

POstquam de voluntario tam in communi , quam in particulari , præcedentibus disputationibus actum est , ordo postulat , ut oppositum voluntario scilicet involuntarium examinemus. Sumitur autem involuntarium dupliciter : positivè sive contrariè , & est illud , quod est contra voluntatem. Negative sive contradictoriè , & est illud omne , quod non proce-

dit

De VIOLE
tia voluntate.
tia vel enim in
electus , vel e
reditur per ig
nitione. Ex
cum.

Q
An voluntas p
Sippono : juxta c
hem, violent
opullo non con
tinguitur violen
tia , à necessar
ia determinato
infeo , & qua
more beatifico ,
ia , quam violent
de solis cognoscen
tiscentibus. Ab
magis late patet ,
ia , quod non ei
DICO : Qua
violentia
parum afflum v
m. S. Th. hic
probatur 1. pa
in actibus , qui
ante impediu
menta distincta
rum , cum sit à p
er atqui volun
tiam imperatis : ill
a constingi ne
1. in Theol.

dit à voluntate. Quatuor assignantur cause involunta-
rii: vel enim impeditur voluntas ab actu suo ex parte
intellectus, vel ex parte voluntatis; ex parte intellectus
impeditur per ignorantiam, & obnubilationem con-
cupiscentiae. Ex parte voluntatis per violentiam, &
metum.

QUÆSTIO I.

An voluntas possit pati violentiam in suis actibus?

SUPONO: juxta communem Philosophorum definitio-
nein, violentum est, quod est à principio extrinse-
co passo non conferente vim id est: renitente; unde
distinguitur violentum à necessario coacto & involun-
tario, à necessario: quia hoc reperitur in quolibet
actu determinato ad unum, licet ille sit à principio in-
trinsico, & quam maximè voluntarius: ut patet in
amore beatifico, à coacto: quia coactum minùs latè pa-
tet, quam violentum, cum coactum propriè dicatur
de solis cognoscentibus, violentum etiam de non cog-
noscentibus. Ab involuntario: quia involuntarium
magis latè patet, cum possit etiam causari ab ignoran-
tiâ, quod non est violentum.

DICO: *Quantum ad actus à voluntate imperatos
voluntas violentiam pati potest... sed quantum ad ipsum
proprium actum voluntatis non potest ei violentia in-
ferri. S. Th. hic q. 6. a. 4. O.*

Probatur 1. pars. Voluntas potest pati violentiam in
illis actibus, qui per vim exterius illatam voluntate re-
nitente impediuntur: quod enim tunc potentia à vo-
luntate distincta cesset ab actu, est voluntati violen-
tum, cum sit à principio extrinseco voluntate reniten-
te; atqui voluntas taliter potest impediri in actibus à
se imperatis: ille enim qui vult ambulare potest vincu-
lis constringi ne ambulet. Volenti videre exterius clau-

duntur oculi, ne videat; ergo voluntas in actibus imperatis potest pati violentiam.

Secunda pars probatur. Vel voluntas pateretur violentiam in ipsis actibus eliciendis vel in cessatione ab actibus eliciendis, ita ut violentum esset cessare ab actu eliciendo: neutro modo potest pati violentiam. Non primo modo, quia omnis actus elicitus est inclinatio voluntatis ab eâ tanquam principio conjuncto & intrinseco procedens: atqui hæc non potest esse violenta: quia quod est violentum procedit à principio extrinseco passo resistente. Ergo nullus actus elicitus potest esse violentus. Deinde cessare ab actu elicito non potest esse voluntati violentum: si enim pateretur in aliquo casu in cessatione voluntas violentiam, esset tunc, quando voluntati dispositæ & paratae elicere actum subtraheretur à causâ extrinsecâ objectum, vel manente propositione objecti concursus causæ primæ ad elicendum actum. Atqui neque tunc violenter cessat voluntas ab actu: quia voluntati maximè connaturale est, ut non agat, quando vel non adest objectum movens ad agendum, vel causa prima, à quâ in eliciendo actu voluntas dependet, non influit.

Obj. 1. Actus imperatus contrà inclinationem voluntatis elicitus est à principio intrinseco; ergo non est violentus. *Prob.* ant. visio in illo, cui violenter aperiuntur oculi, est à potentia visivâ, quæ est principium intrinsecum, motus progressivus in illo, qui violenter impellitur, est à potentia progressivâ; ergo voluntas in actibus imperatis non patitur violentiam.

Rg. Disting. ant. Actus imperatus contrà inclinationem voluntatis elicitus est à principio intrinseco respectivè ad potentiam elicientem, *Con.* & respectu hujus principii immediatè elicientis etiam non sunt violenti, est à principio intrinseco comparativè ad voluntatem imperantem N. Dicuntur igitur actus à potentia

De VIOLE
tienti per appi
sum contrà vo
luntarii positivi
statem renituit
ad actum ci
Obj. 2. Volu
ntatum; ut an
n. terrena, sed
ius non sufficie
per omnia; qui
z, terrena non c
bon despicer te
matis enim cessati
onione concup
atus objectum in
tentia voluntatis
num,

Rg. Negando co
cessatio illa est à pri
liter N. remore &
post Con. eoden
cir est renitentia v
elatione ab amor
N. causaliter & ren
cipiat in his ca
suis, quia cessat
cepta, est vol
ento extrinseco,
bus, non propor
tio fu imperato p
in actu imperat
quem actum,
Obj. 3. Non i
naturis, si prope
r concursus ad

s in actibus im-
s pateretur vio-
n cessatione ab
effet cessare ab
ati violentiam,
icitus est incli-
o conjuncto &
potest esse vio-
edit à principio
s actus elicitus
ictu elicto non
n pateretur in
lentiam, effet
paratae elicere
objectum, vel
s causæ primæ
ic violenter cel-
aximè connatu-
adest objectum
quâ in elicien-

nationem vo-
o; ergo non
cui violenter
quæ est prin-
s in illo, qui
ressivæ; ergo
violentiam.
trà inclinatio-
rinseco respe-
respectu hu-
non sunt vio-
ativæ ad volun-
actus à poten-

DE VIOLENIA, METU & IGNOR. 115
tiis eliciti per applicationem objectorum ab extrinseco
factam contrà voluntatis inclinationem violenti & in-
voluntarii positivè, quia suppositum operans per vo-
luntatem renititur applicationi alterius potentiae ad eli-
ciendum actum circà objectum isti potentiae proprium.

Obj. 2. Voluntas sàpè desiderat ferri in aliquod
objectum: ut amare Deum super omnia, despicer
hæc terrena, sed ob extrinseca impedimenta, quia
Deus non sufficienter proponitur, Deum non amat
super omnia: quia concupiscentia adhæc inferiora tra-
hit, terrena non despicit; ergo cessatio ab amore Dei,
& non despicer terrena est voluntati violentum: im-
primis enim cessatio illa est à principio extrinseco vid.
rebellione concupiscentiae, ob quam intellectus sau-
ciatus objectum insufficienter proponit, deinde est re-
nitentia voluntatis, quia voluntas desideraret oppo-
situm.

R. Negando conseq. Cujus probatio distinguitur:
cessatio illa est à principio extrinseco proximè & forma-
liter N. remotè & causaliter videlicet in impedimentoo
posito Con. eodem modo aliud membrum distingui-
tur est renitentia voluntatis formaliter & proximè in
cessatione ab amore Dei, & in non despiciendo terrena
N. causaliter & remotè Con. unde patet, voluntatem
non pati in his casibus violentiam in ipsâ cessatione
actûs, quia cessare ab actu, ad quem voluntas non
est apta, est voluntati connaturale; sed in impedi-
mento extrinseco, ob quod intellectus, uti voluntas
vellet, non proponit objectum; potest autem voluntas
in actu imperato pati violentiam, licet ex tali violen-
tiâ in actu imperato etiam voluntas impediatur habere
aliquem actuum, quem desiderat habere.

Obj. 3. Non minùs est contrà inclinationem vo-
luntatis, si proposito objecto voluntatis ipsi subtrahar-
tar concursus ad actum voluntatis, quam si igni ap-

plicato ad comburendum subtrahatur concursus causæ primæ; atqui si igni applicato ad comburendum subtraheretur concursus Dei, pateretur ignis violentiam: sic ignis Babylonicus passus est violentiam, eò quod non adusserit tres pueros in fornacem ignis ardoris immisso, quia non cumbustio ignis applicati est contrà inclinationem ignis: uti detentio lapidis sursum, quia est contrà inclinationem lapidis, est lapidi violentia; ergo etiam voluntas pateretur violentiam, si Deus proposito objecto per intellectum subtraheret concursum.

R₃. Neg. mi. cuius probatio disting. non combustio ignis applicati, sive subtractio concursū in igne ad comburendum applicato est contrà inclinationem ignis particularem, Con. universalem, secundum quam causa inferior subjicitur causæ superiori, N. idem est in voluntate non agente ob subtractionem concursū divini. Unde à Deo nulli Creaturæ infertur propriè violentia, quia Deo etiam præter naturam & particularem Creaturarum inclinationem operanti omnia obediunt, & inclinatio in bonum particulare cedit inclinationi in bonum universale, consistens in subiectione omnium rerum creatarum ad primum suum principium.

Obj. 4 Deus potest voluntatem necessitare, vel tollendo indifferentiam judicij, quâ sublatâ tollitur libertas in voluntate: vel manente indifferentiâ judicij determinando ad unam partem contradictionis; atqui tunc voluntas patietur violentiam: quia absque indifferentiâ determinaretur ad actum, ad quem juxta inclinationem propriam se determinaret cum indifferentiâ.

R₃. Transmissâ maj. Neg. mi. cum probat. quia voluntas determinata ad unum sine indifferentiâ habet quidem necessitatem, sed non patitur violentiam. Hinc tantum ex argumento sequeretur, voluntatem à Deo

De VIOL
eo posse necel
um principiu
transmisiā
proponitu
necessitari
dichum est
Obj. 5. Deus
de propitiis;
etrum, quia
determinati
in qualibet re
ficiunt,

R₃. Diffimula
de proprium
locus mali, q
tenderetur, ade

Q

Anvis

SUPPONENDO viol
est à principi
ente. Aliud se
principio extrin
ois virtibus qua
vel formalite
Eodem mo
de, quod con
us absolute ref
quid, quod v
quidem vult,
circumstantiae a
fragii projiciens
merces abjecere
non adesse d
DICO via

Deo posse necessitari, quo facto adhuc operaretur tanquam principium intrinsecum absque indifferentia; dixi transmissa maj. quia, quando objectum ab intellectu proponitur cum indifferentia, voluntas non potest necessitari ad objectum illud prosequendum. ut supra dictum est.

Obj. 5. Deus potest necessitare voluntatem ad odium esse proprii; atqui odium illud esset voluntati violentum, quia esset à principio extrinseco, Deo videlicet determinante, & contraria naturalem inclinationem, cum quaelibet res ex naturali inclinatione propendeat in esse suum.

R⁴. Dissimulata maj. Negando mihi quia in tali casu esse proprium habebit voluntas odio sub ratione alicujus mali, quod ab intellectu in esse proprio apprehenderetur, adeoque actus ille odii erit voluntarius.

Q U A E S T I O N E II.

An violentia causet involuntarium?

Suppono violentum aliud est simpliciter tale, quod est à principio extrinseco passo totis viribus renitente. Aliud secundum quid, quod videlicet est à principio extrinseco passo quidem renitente, sed non totis viribus quantum potest & deber, & consequenter vel formaliter vel æquivalenter voluntate cooperante. Eodem modo involuntarium aliud est simpliciter tale, quod consideratis omnibus circumstantiis voluntas absolute respuit. Aliud involuntarium secundum quid, quod voluntas in præsentibus circumstantiis quidem vult, conditionatè tamen non vellit, si haec circumstantiae abessent: ut mercator in periculo naufragii projiciens merces in mare quidem absolute vult merces abjicere, vellit tamen conditionatè eas servare, si non adesset circumstantia periculi orti ex tempestate.

DICO violentia involuntarium causat. **S. Th** hic

Q. 6, a. §. O. *Explico:* Violentum simpliciter causat involuntarium simpliciter, & secundum quid violentum causat secundum quid involuntarium, & consequenter interpretativè voluntarium.

Ratio primæ partis est: quia, quod est à principio pure extrinseco voluntate nihil conferente est simpliciter involuntarium; atqui tale est simpliciter violentum. Ergo.

Ratio secundæ partis est: quia, quod aliquo modo procedit à voluntate, est interpretativè voluntarium, licet sit secundum quid involuntarium. Atqui violentum secundum quid aliquo modo procedit à voluntate: dum voluntas quantum potest & debet, non resistit. Ergo est interpretativè voluntarium.

Ex his sequitur 1. Ea, quæ fiunt coactè & ex violentiâ simpliciter tali, neque esse meritoria neque demeritoria: cum sint simpliciter involuntaria. Unde qui violenter cogeretur ad actum v.g. genuflexionem vel immissionem thuris, quo actu censeretur cultum exhibere vero vel falso Deo, nec priori actu mereretur, nec posteriori demereretur.

2. Baptismus adulto violenter collatus est invalidus: quia susceptio valida Baptismi in adulto requirit intentionem ad minus habitualem recipiendi Baptismum: violentia autem tollit etiam habitualem voluntatem.

3. Quando actus malus violenter exercetur circa objectum ad alium aliquo modo pertinens, attendendum est, an adhibita sit tanta, quanta potuit & debuit adhiberi, resistentia, ut violentiam patiens excusetur à peccato; ideoque advertendum, an ad resistendum quis obligetur præcepto affirmativo, an negativo, si quis tantum teneatur præcepto affirmativo, non statim imputatur ad culpam, etsi non adhibeat omnem resistentiam possibilem, sed sufficit, quod adhibeatur conveniens attentâ ratione damni; præcepta

DI VIOLE
cēnū affirmati
vīa & tamē S
ore & impedi
teretur alterius
sodo moralit
implū ponitū
ne vis infertur
tūram, suff
onis citrā pro
m. Si verò pi
on cum propria
z, & hoc poste
tētale periculu

QU

An merus cau
Suppono 1. Metu
S̄ta, et instant
differt à vi & viol
impellat ad actum
metus vero objectiv
tari ingenit aliquid
aliquem actum, q
ali intentati volu
stragii intellectu
scium tanquam
utem vice, ac ita
ones, quas alias
Suppono 2. Met
de simile concip
gi notam incor
cipitur, quod i
ntro potest pra
lo eligitur, ut n
let vocari metu

ta etenim affirmativa s^epius non obligant cum periculo vitae & famae Si vero obligetur praecepto negativo evitare & impedire actum intentatum, ne videlicet cooperetur alterius peccato, tunc est obligatio, ut omni modo moraliter possibili impediatur talis actus. Exemplum ponitur ab Authoribus in Virgine, cuius pudicitiae vis infertur, quae, si non timeat se consensum prebituram, sufficienter resistit manibus & viribus corporis citra propriam infamiam & vitae periculum. Si vero probabiliter timeat se consensuram, etiam cum propriae vitae & famae dispendio resistere debet, & hoc posterius practicè verum, quia semper subest tale periculum.

QUÆSTIO III.

An metus causet involuntarium simpliciter?

Suppono 1. Metus, ut definiunt Theologi & Jurists, est instantis periculi causâ mentis trepidatio. Differt à vi & violentiâ, quod vis effectivè & physicè impellat ad actum inclinationi voluntatis contrarium, metus vero objectivè & moraliter, inquantum voluntati ingerit aliquod objectum impulsivum ad faciendum aliquem actum, quem vi alterius motivi extra casum mali intentati voluntas non elegisset: ut in periculo naufragii intellectus voluntati proponit ejectionem mercium tanquam medium necessarium ad conservationem vitae, ac ita voluntatem impellit ad ejiciendas merces, quas alias maluisset conservare.

Suppono 2. Metus alius est gravis, alius levis. Levis de levi malo concipitur, ex quo quis operans non effugit notam inconstantiæ. Metus gravis de gravi malo concipitur, quod in iudicio prudentis & constantis viri merito potest præponderare alteri malo, quod præ illo eligitur, ut metus mortis, infamiae, exilii, ideoque solet vocari metus cadens in constantem virum, sive

metus justus, non quod jus probet factum ejus, qui metum inferrit, sed quod approbet ipsum metum, & pro tali metu communiter assignantur hæc conditiones:

1. Ut malum, quod timetur sit grave.
2. Ut non vanè & leviter ut tale à timente judicetur.
3. Ut minitans possit minas exequi.
4. Ut minitans sit solitus minas exequi.
5. Ut malum, quod timetur non possit facile à timente vitari. Demuin ut sit malum ipsius timimenti aliquo modo, vel quia imminet propriæ personæ, vel personæ sibi conjunctæ, ut Patri, Matri, Filio, Fratri, Sorori, amico, &c.

Suppono 3. Metus dupliciter ad actum se habere potest: antecedenter & concomitanter; antecedenter se habet, quando ex ejus impulsu & objectivâ motione procedit, concomitanter se habet, quando ita conjungitur operationi, ut tamen non sit causa illius, sancti saepius habuerunt metum inferni, ex illo tamen non sunt operati. Item metus potest esse vel causa totalis vel solùm partialis, cum nimis ipso absente adhuc actus poneretur: ut aliquis dolet de peccatis ob Deum offensum & pœnas inferni.

Suppono 4. Cum aliquid sit ex gravi metu, perumque concurrunt quatuor actus: ut patet in exemplo mercatoris ex metu naufragii merces ejicientis. Nam 1ò. habet amorem mercium, qui durat etiam pro tempore, quo merces ejicit. 2ò. habet amorem & desiderium vitae conservandæ, qui actus amori mercium præponderat. Ideoque habet 3ò. efficacem electionem ejiciendi merces, ut vitam conservet. Quamvis 4ò. adhuc habeat inefficacem & conditionatam voluntatem non projiciendi merces, si periculum abesset. Et hæc nolleitas post ejectionem mercium in mercatore causat tristitiam.

DICO. Illud quod per metum agitur, absque conditione-

ditione est voluntarium, id est: secundum quod agitur: sed involuntarium est sub conditione id est, si talis metus non imminueret. S. Th. hic Q. 6. a. 6. ad 3.

1. *Pars probatur.* Quod est ex metu absolute, vel est actus elicitus vel imperatus à voluntate ex metu; uterque est voluntarius simpliciter: imprimis actus elicitus: ut volitio projiciendi merces in mercatore: est voluntarius; quia procedit à voluntate cum cognitione finis, ut videlicet naufragium evadat. Deinde actus imperatus: ut ipsa projectio mercium: est simpliciter voluntarius, quia procedit à voluntate imperante & absolute volente potius subire minus quam majus malum. v. g. Perdere merces, quam perire naufragio.

2. *Pars probatur:* actio inquantum est contraria voluntati renitenti, est involuntaria: quod enim est contrarium voluntati, est involuntarium. Atqui actio imperata ex metu est contraria voluntati renitenti non efficaciter, sed inefficaciter: quia vult inefficaciter servare merces, si non esset periculum naufragii. Pro quo melius intelligendo.

Nota: dum actio imperata procedit ex metu antecedente, adsunt duo actus voluntatis realiter distincti ex diversis motivis procedentes, quorum unus est efficax electio v. g. projiciendi merces, quæ etiam ab aliquibus vocatur voluntas consequens: quia est consideratis omnibus circumstantiis, cum conservatio mercium sit incompossibilis cum conservatione vitæ, & plus projiciens amet vitam, quam merces. Alter actus est inefficax scilicet velleitas v. g. non projiciendi merces, quæ ab aliquibus vocatur voluntas antecedens: quia merces secundum se placent præscindendo à circumstantiis, in quibus adjunctum habent periculum amittendi majus bonum videlicet vitam. Et potest

unus actus manere sine alio: nam transacto periculo voluntas non vult amplius merces projicere, quia cessavit voluntas consequens & durat actus inefficax vel voluntas antecedens. Item unus ex his actibus habet se per modum fugæ; quia retrahit à projectione mercium, sed inefficaciter & conditionatè: proponitur enim projectio mercium mala, inquantum privat mercibus, quæ secundum se proponuntur bonæ. Alter actus est per modum prosecutionis, quia prosequitur projectionem mercium quatenus est alleviativa navis & utilis ad evasionem periculi. Quia autem ex utroque actu denominatur voluntas operans ex metu, ex uno directè & simpliciter, ex altero præsuppositivè & concomitantè; ideo actio externa secuta dicitur partim voluntaria partim involuntaria. Quando igitur metus dicitur causare mixtum ex voluntario & involuntario, non sic intelligendum est: quasi metus in actu causet utramque rationem, cum hoc sit impossibile: rationes enim oppositæ ab eodem principio nequeunt provenire. Sed in tantum dicitur metus causare involuntarium, inquantum causat actum, in quo involuntarium reperitur, causatum tamen ex amore ad illam rem, quæ propter metum postponitur.

Obj. 1. Juxta Trid. sess. 6. de justif. cap. 8. *Si quis dixerit Gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo configimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere; Anathema sit.* Atqui à peccato abstinere ex timore Gehennæ malum esset, si admixtum haberet involuntarium ortum ex voluntate antecedente peccandi; ergo falsum est, quod actus ex metu imperatus habeat voluntarium mixtum involuntario.

R. 3. N. mi. quia timor ille Gehennæ bonus est, & actus ille imperatus ex illo timore: vid. non peccare, etiam bonum est. At voluntas antecedens vel com-

placen-

transacto periculo
projicere , quia
ut actus inefficac-
ex his actibus ha-
bit à projectione
onare : proponi-
i quantum privat
bonum bonae
nis , quia profe-
sus est alleviativa
Quia autem ex
perans ex metu
præsuppositivè
a secura dicitur
Quando igi-
voluntatio & in-
; quasi metus in
hoc sit impossibi-
n principio ne-
citur metus cau-
actum , in quo
en ex amore ad
ponitur.

cap. 8. Si quis
misericordiam
vel à peccando
ores pejores fa-
abstinere ex ti-
m habet in-
dente peccan-
metu imperatus
io.
bonus est , &
l. non peccare
edens vel com-
placen-

placentia in peccato secundum se considerato abstra-
hendo à pœnâ est mala ; sicut timor patibuli in fure est
bonus : movet enim ad actum bonum , videlicet ut
velit abstinere ad minus à furto externo , ne suspenda-
tur. At voluntas antecedens , quæ sæpius est in fure ,
quâ vult furari secundum se abstrahendo à pœnâ pati-
buli , est mala.

Obj. 2. Secundum idem Trid. sess. 14. cap. 4. de
pœnit. attritio concepta ex metu Gehennæ , si volun-
tatem peccandi excludat , est sufficiens ad Sacramen-
tum pœnitentiæ ; ergo actus imperatus ex timore potest
carere omni involuntario : dicitur enim involuntarius
ratione voluntatis antecedentis & conditionatae .

R. Dissimulato antecedente distinguendo Conse-
quens : ergo actus imperatus ex timore illius mali quod
sequitur ad quamcunque voluntatem oppositi po-
test carere omni involuntario Con. absolutè N. hoc
speciale est , metum Gehennæ posse excludere etiam
voluntatem antecedentem : quia enim æternâ pœnâ
Gehennæ est puniendus non tantum ille , qui vult pec-
care voluntate consequente , sed etiam ille , qui sim-
plicem complacentiam habet de peccato , illudque
vellet si pœna non adesset , & cui peccatum placet
voluntate antecedente. Ideò pœna inferni , quam
quis timet , non tantum movere potest , ut quis non
habeat voluntatem efficacem peccandi ; sed etiam
ut quis non habeat voluntatem inefficacem ; ex quo
omnes Theologi admittunt : metum Gehennæ esse
dispositionem ad minus remotam ad justificationem ;
facit enim , ut non tantum displiceat peccatum inquan-
tum habet adjunctam pœnam , sed etiam secundum
se , & in hoc est disparitas inter furem abstinentem à
furto ex metu patibuli , & inter peccatorem absti-
nentem à peccato ex metu Gehennæ , quod , quia
affectus simplex ad furtum non infert periculum pati-
buli ,

buli, ideo timor patibuli non facit in fure excludi affectum simplicem ad furtum; econtra; quia etiam affectus simplex ad peccatum habet adjunctum periculum æterni patibuli scilicet Gehennæ, hinc timor ille voluntatem antecedentem peccandi excludere potest; aut autem solus timor Gehennæ immediatè voluntatem peccandi excludere possit, ita, ut illi, cui ante placet peccatum, nunc etiam efficaciter displiceat, quia adjunctam habet pœnam; gravis est hodie controversia in 3. p. disp. 33. resolvenda.

Ex dictis sequitur 1. Quod nullus metus quantumvis gravis per se excusat à peccato: quia cum non tollat voluntarium simpliciter, nec auferat rationem liberi, quamvis diminuat culpam, illam tamen totaliter non tollit, nisi aliquando per accidens in his casibus: 1. Si metus ita turbet rationem, ut non relinquit locum perfectæ deliberationi. 2. Si ob gravitatem mali imminentis hic & nunc cesset obligatio alicujus præcepti; præcepta enim affirmativa maximè quæ sunt juris humani, non obligant cum periculo gravis mali, nisi sint intuitu boni communis, vel metus incutiatur ad hoc, ut fiat aliquid in contemptum præcepti aut religionis. Tunc enim specialiter exigit ratio boni communis observantiam legis etiam cum jacturâ cuiuslibet boni privati.

2. Quilibet Contractus, promissio, votum, matrimonium ex metu quolibet factum stando præcise in jure naturæ est validum: quia cum quolibet metus voluntarium simpliciter & potest intervenire legitimus titulus ad substantiam contractus requisitus. Cui non obstat, quod extorquens consensum per metum injustum faciat alteri injuriam, adeoque ex tali injustitiâ commodum reportare non debeat; quia ad hoc inconveniens evitandum sufficit quod vim & mecum passo concedatur beneficium rescissionis contra-

ctus,

etis, si contractus sit rescindibilis, in contractibus vero irrescindilibus jus positivum providit metum gravem passis. Ut intrâ.

3. Præcepta naturalia negativa: ut est de non fornicando, de non faciendo Sacramento invalido &c. obligare in quocunque gravi metu, quia actus ejusmodi præceptis oppositi sunt intrinsecè mali adeoque nullo casu vel metu excusabiles vel à malitiâ separabiles, attamen quoad præcepta affirmativa naturalia probabiliiter sustinetur, ea non semper obligare cum gravi metu & hinc eorum transgressionem metu mortis inferendæ excusari posse, nisi finis talium præceptorum bono vita preponderet.

4. Ex ipsâ juris naturalis æquitate jura humana contractus & alios quosdam actus ex gravi metu ad extorquendum consensum injustè incusso factos irritare voluerunt, ut: 1. Matrimonium: cum enim matrimonium ex naturâ suâ sit indissolubile, illi, qui ex metu gravi ad hoc injustè incusso matrimonium contraxisset, alio modo succurri non poterat, quam si Ecclesia talia matrimonia irritaret. 2. Votum solemne in professione religiosâ, quæ est Spirituale Matrimonium. Quod aliqui extendunt ad quodlibet votum.

3. Promissio & solutio dotis, quæ consequuntur vel antecedunt Matrimonium. 4. Juxta aliquos jurisdictione data vel prorogata ex metu, unde cum per electionem detur prælato Jus ad jurisdictionem, nulla est electio ex metu gravi facta uti &c.

5. Authoritas Tutorum; qui duo casus ab aliis probabilius negantur è quod l. 2. ff. de Jud. ex quâ probare volunt prius, agat de casu speciali, quo litigantes compelluntur litigare coram judice non suo, unde superiorum invalidè ex metu gravi conferre jurisdictionem, aut litigantes voluisse prorogare (sed ob metum invalidè) inferri non potest. Deinde l. 1. §. ult. ff. de auth. tut.

cont-

continet: quod illud invalidè geratur, quod coram tutore geritur, qui per vim invitus in loco detinetur. Unde nequit colligi, quod tutoris consensus per metum extortus sit ipso jure invalidus. 6. Absolutio ab excommunicatione aliâvè censurâ data ex metu. 7. Testimonium à testibus in Testamento per gravem metum obtentum.

QUÆSTIO IV.

An concupiscentia & ignorantia causent involuntarium?

Suppono 1. Quoad 1. concupiscentia est actus appetitus sensitivi, qui vocatur passio: quia fit cum aliquâ immutatione corporali circâ bonum sensibile, sive illud pertineat ad partem concupiscibilem, quæ est circâ bonum simpliciter ut amor, desiderium, gaudium. Sive pertineat ad partem irascibilem, quæ est circâ bonum arduum: ut ira, spes, audacia &c. vel circâ malum: ut timor. Dividitur hæc passio concupiscentiæ in antecedentem & consequenter. Antecedens est actus appetitus sensitivi circâ bonum sensibile suâ vehementiâ rapiens voluntatem ad illud amplectendum. Passio consequens est actus appetitus sensitivi circâ bonum sensibile, excitatus & imperatus ab ipsâ voluntate. Hæc postrema passio nunquam causat involuntarium; siquidem ab ipso actu voluntatis causatur.

Suppono 2. Quoad 2. ignorantia sive nescientia rei respectivè ad voluntatem dividitur in antecedentem, consequenter & concomitantem. Antecedens, quæ etiam vocatur invincibilis, est, quæ antecedit omnem actum voluntatis & omni morali ac debitâ diligentia vinci non potuit, ut proinde nec directè nec indirectè sit voluntaria. Et tamen suo modo videlicet removendo prohibens est causa, quod actus fiat, qui absente.

sente hâc ignorantia nullo modo fieret. Sit pro exemplo: Titius nullâ intermissâ necessariâ & debitâ inquisitione: num hodie sit dies Jejunii: comedit carnes, illas non gustaturus, si scivisset esse diem Jejunii. Hic non observantia præcepti causatur ab ignorantia anteecedente, per quam invincibiliter removetur notitia præcepti, quæ impedivisset carnium comedionem. Ignorantia consequens vel vincibilis est, quæ sequitur actum voluntatis vel formalem vel interpretativum, ac proinde est directè vel indirectè voluntaria. Est directè voluntaria, si sit affectata: ut cum quis studio intermittit inquirere obligationem, ut eò liberiùs peccet. Est indirectè voluntaria, dum non adhibetur diligentia ad deponendam ignorantiam, qualis posset & deberet adhiberi. Hæc aliquando est crassa & supina, dum nulla vel modica adhibetur diligentia; aliquando non crassa, cum quidem aliqua sed insufficiens adhibetur diligentia. Ignorantia concomitans est, quæ cum actu voluntatis peraccidens conjungitur, ita ut neque sit causa actus voluntatis, neque effectus voluntatis. Pro exemplo est: Catus explodit Bombardam, ut occidat feram, reipsâ occidit inimicum; invincibiliter existimans esse feram, quem inimicum nihilominus occidisset, si scivisset adesse.

DICO 1. *Concupiscentia non causat involuntarium sed magis facit aliquid voluntarium.* S. Th. hic Q. 6. a. 7. O.

Explico: nunquam concupiscentia per se causat involuntarium, etiam secundum quid, aliquando minuit, aliquando tollit voluntarium liberum, auget tamen voluntarium imperfectum & per accidens causat aliquando involuntarium.

Probatur 1. pars. Involuntarium etiam secundum quid tantum potest provenire ab aliquâ fugâ mali, quod sit contrarium voluntati; atqui concupiscentia nullam

nullam rationem mali offert voluntati, sed præcisè inducit in amplexum boni delectabilis: ex quo patet notabilis differentia inter modum, quo voluntas operatur ex metu, & quo operatur ex concupiscentia. Nam metus est per se inductivus voluntatis ad electionem minoris mali præ majore: quia enim malum per se displicer voluntati, ideo in ipsâ causat nolleitatem talis mali. Concupiscentia verò est inductiva voluntatis ad electionem boni, quod suâ bonitate & suavitate allicit voluntatem, ideoque non est aptum per se fundare nolleitatem aut tristitiam

Probatur 2. pars. Passio vehemens ità potest turbare judicium rationis, ut parum vel penitus non attendat ad proportionem finis cum mediis, imò ut nequidem amplius habeat cognitionem indifferentem, & ideo motus primò primi voluntatis non sunt peccaminosi, quamdui non accedit vel formalis vel interpretativa advertentia rationis.

Probatur 3. pars. Actus majori intensione à voluntate procedens est magis voluntarius saltem secundum rationem voluntarii imperfecti, ad quam sufficit procedere ab appetitu cum aliquâ cognitione finis, atqui voluntas ex impulsu concupiscentiæ in aliquid objectum tendens cum majori intensione in illud fertur, quam si nullâ passione moveretur. Ergo.

4. Pars. Patet in his casibus: 1mò Si quis ex irâ vel passione amoris eligat media molesta & amara, ducat noctes insomnes, committat se periculis &c. 2dò Si ex hoc, quod quis operetur ex concupiscentiâ, oriatur remorsus conscientiæ; quod involuntarium respectu concupiscentiæ est peraccidens: quia non oritur ex formali ratione objecti delectabilis, quod concupiscentia respicit. Sicut tristitia, quam quis patitur ob merces in mare projectas, oritur ex formali ratione objecti, vid, mali, quod metus respicit.

DICO

DICO 2. Antecedenter se habet ad voluntatem ignorantia, quando non est voluntaria, Et tamen est causa volendi, quod alias non vellet... Et talis ignorantia causat involuntarium simpliciter S. Th. hic Q. 6. a. 8. O.

Probatur: Quod causat effectum repugnante viruali saltem & interpretative voluntati, causat involuntarium simpliciter; atqui ignorantia antecedens causat effectum omnino repugnante saltem interpretative voluntati: si enim adesset notitia, actus nullo modo poneretur. Ergo ignorantia antecedens causat involuntarium simpliciter

Unde sequitur bene damnatum esse errorem Jansenii docentis: ignorantiam invincibilem, sive ignorantiam secundum necessitatem non excusare à peccato; quod æquivalenter damnarunt S. Pius V. & Gregorius XIII. in hâc propositione Baji 67. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit & Alex. VIII.* in hâc propositione: tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hec in statu naturæ lapsæ operantem, reipsa non excusat à peccato formalí.

Ratio damnationis est: quia juxta S. August. l. de verâ relig. cap. 14. Usque adeò peccatum voluntarium est malum ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium; ergo si id quod fit ex ignorantia antecedente vel invincibili nullo modo est voluntarium, nullo modo est peccatum.

Dices 1. Omnis pœna peccati originalis est culpabilis: sed ignorantia invincibilis est pœna peccati originalis; ergo ignorantia invincibilis est culpabilis.

R. N. maj. quia alias infidelitas negativa, motus primò primi, concupiscentia, aliæque miseriæ naturæ lapsæ, quæ sunt pœnæ peccati originalis, essent peccata. Contra S. Th. in 2. sent. dist. 30. Q. 1. a. 2. O.

ubi docet: *Ad culpam personæ requiritur voluntas personæ.*

Dices 2. Juxta S. Th. quodl. 8. a. 13. *Illud quod agitur contrà legem, semper est malum, nec excusat per hoc, quod est secundum conscientiam; sed quod sit ex ignorantia invincibili, fit contrà legem & ex errore, quo creditur non esse peccatum, quod est peccatum; ergo semper est malum, nec excusat à peccato.*

R. S. Th. loqui de conscientia erronea invincibili, quæ à peccato non excusat, qualis est illa, quæ procedit ex ignorantia consequente: de quâ.

DICO 3. *Cum ipsa ignorantia sit voluntaria... non potest causare simpliciter involuntarium: causat tamen secundum quid involuntarium* S. Th. hic Q. 6. a. 8. O.

Ratio 1mæ partis est: quia qui vult antecedens etiam vult consequens, & qui est causa causæ quæ talis etiam est causa causati: sed ignorantia invicibilis est causa effectus ex ignorantia secuti, ipsoque est directè vel indirectè voluntaria; ergo etiam effectus ex illâ secutus est simpliciter voluntarius.

Ratio 2dæ partis est: quia ad involuntarium secundum quid sufficit, quod sit contrà aliquam inclinationem voluntatis: sed actus proveniens ex invicibili ignorantia est contrà inclinationem voluntatis: nam etiam qui ex ignorantia invicibili occidit amicum, putans esse feram, dolet se occidisse, ergo actus ex invicibili ignorantia potest esse involuntarius secundum quid. Talis ignorantia est cæcitas mentis, quam causat inordinatus amor creaturarum, quæ non tam studio, quam mutatione amoris vincitur: nisi enim amor perversus mutetur, non potest intellectus nisi erroneum de rebus agendis judicium formare; unde in hâc ignorantia miscetur involuntarium voluntario: videlicet ratio voluntarii provenit à causâ voluntariâ, id est ab amore inordinato libero, qui causat errorem,

quo

quo præventus intellectus erroneè concludit: quidnam hic & nunc sit operandum; ratio involuntarii in hoc consistit, quod voluntas præoccupata amore inordinato aliquid velit & agat, quod non ageret, si non esset error ex amore præoccupante voluntatem.

Quid dicendum sit de ignorantia concomitante: nempe hanc neque voluntarium nec positivè involuntarium causare, sed solùm negativè non voluntarium. Inde patet: quod illa, quæ fiunt ex ignorantia concomitante, non sint cognita, nec contrà aliquam inclinationem formalem vel interpretativam voluntatis: atqui quæ non sunt cognita invincibiliter, non possunt esse voluntaria & quæ non sunt contrà inclinationem voluntatis, non possunt ullâ ratione esse contrariè involuntaria; ergo quæ fiunt ex ignorantia concomitante, nec sunt voluntaria nec contrariè aut privativè involuntaria; restat igitur, quod tantum sint negativè non voluntaria.

Ex quo sequitur: ignorantiam concomitante excusare à culpâ, & consequentem, saltem si non sit crassa, etiam à pœnis & censuris; cui non obstat, quod habens ignorantiam concomitante sit in eâ dispositione animi, ut hunc ipsum effectum posuisse ab absente ignorantia v. g. inimicum occidisset si novisset presentem; quia non imputatur ad culpam, quod homo faceret, sed quod facit. Neque habitualis illa dispositio hic & nunc in actum influit.

Ex dictis Colliges pro Coronide: per invincibilem ignorantiam aliquando contractus & vota reddi invalida; cum videlicet error & ignorantia afficit ipsam contractus vel voti substantiam, aut circumstantiam talem, quæ in substantiam redundat: v. g. Vitrum pro Gemmâ emisti. Existimans te promittere matrimonium Catharinæ promisisti Magdalenæ. Existimans ordinem Carthusianorum esse facillimum vovisti illum ingredi, &c.

Ratio est: quia in his contractus & votum quoad substantiam sunt involuntaria; ergo nulla. Si autem sit tantum quoad circumstantiam aliquam accidentalem contractus involuntarius, manebit quoad substantiam validus.

DISPUTATIO VI.

De actibus Voluntatis.

IN negotiis moralibus novem actus ordinariè interveniunt, qui partim ad intellectum, partim ad voluntatem, partim ad intentionem finis, partim ad executionem mediorum pertinent, & sunt sequentes: cognitio finis, simplex finis volitio, intentio finis, consilium de mediis, consensus in media, electio mediorum, imperium, usus & fruitio. Circà hos actus aliquæ occurrunt difficultates breviter resolventæ. Unde sit.

QUÆSTIO I.

De objecto volitionis simplicis & volitionis efficacis.

Suppono. Ad omnem volitionem prærequiritur cognitio vel actus intellectus, ita, ut nequidem per absolutam Dei potentiam fieri possit, ut voluntas in incognitum tendat: quia impossibile est, quod voluntas vitaliter tendat in objectum, priusquam habeat objectum, à quo moveatur & specificetur, hoc autem objectum est bonum objectivè alliciens & ad hanc speciem actus determinans, quatenus est ab intellectu propositum sub ratione convenientis; sicut enim appetitus naturalis sequitur formam naturalem, appetitus sensitivus formam apprehensam per sensum. Ita appetitus rationalis sequitur formam per intellectum propositam; licet ergo etiam voluntas dicatur moveri ab appetitu sensitivo, hoc tamen non aliter fit, nisi in quantum passio vel affectus appetitus sensitivi est causa,

quod

DE AC
tectum ab intel
conveniens: u
z, qualiter pe
n. Et ideo pa
us vel illius sp
ia movens est
ponens.

DICO. Volun
tum modi, sine h
em. Sed in ea,
ni, non potest
Id, hic Q. 8. a.
tus & efficacis e
objectum volitio
munt, volitio
ione ponendo.

ima Pars pre
dictus est in inclinatio
volitio est talis ap
non potest esse ni
proinde bonum;
lire in finem vel
media subsequendi
ida Pars pat
plicem, quæ et
tacencia vocatu
ta, quo volun
tud media. Et vo
radic in finem
mediis, illa vul
quendum.

Obj. 1. Vol
nelle bonum ve
rino precepto
aduleriam, qu